

8.54.16

*Idem AA. et CC. Theodoro.*

Senectus ad donationem faciendam sola non est impedimento.

*D. V k. Dec. AA. consss.*

[a. 293]

8.54.17

*Idem AA. et CC. Hermiae.*

Sive emancipatis filiis res donasti sive in potestate constitutis et sui iuris effectis ac tenentibus non ademisti, blandiri tibi non debes, velut res donatas ex paenitentia liceat auferre.

1 ¶ Sane si ea, quae in tua positis potestate donaveras, post emancipationem contra tuam tenuerunt voluntatem, horum penes te dominium remansit, si quidem nec tempore quo voluisti propter vinculum potestatis sibi quicquam querere, nec post invito te de rebus tuis potuerunt.

*S. VI k. Ian. AA. consss.*

[a. 293]

8.54.18

*Idem AA. et CC. Audiano.*

Si donationis causa furti actio tibi remissa probetur, supervacuam geris sollicitudinem.

*S. V k. Ian. AA. consss.*

[a. 293]

8.54.19

*Idem AA. et CC. Alexandriae.*

Si avia vestra proprias res quacumque ratione factas titulo liberalitatis in eum contra quem preces funditis contulit, quominus haec rata maneant, quod ex origine patris vel avi vestri descendunt, nihil prodest.

*S. XVI k. Febr. Sirmi CC. consss.*

[a. 294]

8.54.20

*Idem AA. et CC. Helvio.*

Vice donatricis alio voluntate eius subscrivente iure facta donatio non habebitur irrita.

*S. VII k. Febr. CC. consss.*

[a. 294]

8.54.21

*Idem AA. et CC. Antoniae.*

Constante matrimonio dotem penes maritum suum constitutam avia tua donare tibi non potuit.

*S. V id. Mart. CC. consss.*

[a. 294]